§. III.

Quoniam verò vita humana, *qua talis*, in actionibus humanis *Formaliter* consistit; ac de his variæ insuper *affectiones, necessitudo, licentia, bonitas, malitia, justitia, injustitia, meritum, demeritum*, earumq; quantitates, rationes, proportiones, petitis *cum* ex ipsa primorum, nobiscumque natorum principiorum connexione, tum ex humana conditione argumentis, demonstrantur: idcircò hoc philosophiæ genus Actionum humanarum scientia, sive prudentia solet adpellari. Alii Moralem Philosophiam nuncupant, quod vitam humanam, mores potissimum, hoc est, ex arbitrio constitutæ consuetudines, aut inclinationes regant, quæ & ipsæ certis per philosophiam Regulis dirigendæ sint: cui non adversa Civilis Philosophiæ adpellatio est, quod homo peculiari instinctu feratur ad societatem, cujus ultimum veluti complementum est civitas, inimica verò est vita solitaria.

quæ Synonyma Philosophiæ practicæ?

§. IV.

De Ortu & Progressu hujus Philosophiæ videndus præcipuè Henricus Julius Scheurlius, in Bibliographia Morali, ubi hoc inprimis monet, antiquissimos quosque, non tam eruditionis aut Legum, quam probitatis, justitiæ, constantiæ reliquarumque virtutum consultos fuisse: nunc verò de multis illud Senecæ merito prædicari: Postquam docti esse cepimus, boni esse desiimus. Atque hinc factum, ut quum de corporum naturalium natura, varietate, principiis fuse disputatum à veteribus esset, pauci ad Morum disciplinam justa *pædias* ratione excolendam animum adplicuerint. Quod & sua jam ætate miratus Tullius in Tusculanis; Cur, inquiens, cum constemus ex animo & corpore, corporis curandi tuendique caussa quæsita sit ars ejus atque utilitas, DEI immortalis inventioni consecrata: animi autem medicina nec desiderata sit ante, quam inventa?